

The Electronic *Compendium moralium notabilium* Project  
(<http://web.wlu.ca/history/cnighman/CMN/index.html>)

*Compendium moralium notabilium* (from *Epytoma sapientie*, Venice, 1505)

Pars 2, Liber 6: De politicis moribus

De pollicia seu ciuilitate: Rubrica prima.

Salomon in prouerbiis capitulo 11. In benedictione iustorum exaltabitur ciuitas: et ore impiorum subuertetur. 14. capitulo. Iustitia eleuat gentem: miseros facit populos peccatum. 29. capitulo. Homines pestilentes dissipant ciuitatem. Sapientes vero auertunt furorem.

Isocrates in exhortationibus capitulo 3. Ex communibus curis discede non ditior sed gloriosior: nam potius pluribus opibus preconium quod a multitudine.

Cronica de nugis philosophorum capitulo 3. scilicet de solone. Solon qui fuit vnus de septem sapientibus ait: A viris magnatibus perit ciuitas.

Aristoteles politicorum libro i. capitulo i. Omnem ciuitatem videmus communitatem quandam existentem: et omnem communitatem alicuius gratia boni institutam. Homo natura ciuile animal est: et qui inciuilis propter naturam et non propter fortunam: aut prauus est aut melior quam homo. Libro 2. capitulo i. Ciuilitas communicatio quedam est. Multitudo quedam secundum naturam est ciuitas. Non fit ciuitas ex similibus. Amicitiam putamus maximum bonorum esse ciuitatibus. 5. capitulo. Omnis ciuitas indiget artificibus. 8. capitulo. Ubi non maxime virtus honoratur: hanc polliciam non est possibile firmiter secundum virtutem principari. Pollicia est ordo quidam habitantium ciuitatem. Ciuitas ciuium quedam multitudo est. Cuius non est per habitare alicubi. Cuius simpliter nullo aliorum determinatur magis quam per participare iudicio in principatu. Cui potestas est communicandi principatu consiliatiuo vel iudicatiuo ciuem dicimus esse huius ciuitatis. Ciuitatem esse talium multitudinem ad aucharchiam vite. 2. capitulo. Ciuium quamuis dissimilium existentium opus est salus communitatis. Communicatio est pollicia. Ex dissimilibus est ciuitas. Libro 4. capitulo i. Pollicia est ciuitatibus ordo: qui circa principatus quomodo distribuuntur et quid dominans pollicie: et quid quod conferens est communionis singulis. 2. capitulo. Pollitia principatum ordo est. 4. capitulo. Ubi non principantur leges: non est pollitia. 7. capitulo. Est pollitia vt simpliciter est dicere mixtio oligarchie et democratie. 9. capitulo. Pollicia vita quedam est ciuitatis. In omnibus ciuitatibus sunt tres partes ciuium. Hi quidem opulenti valde: hi autem egeni valde: hi autem tertii qui medii bonorum. Qui sunt in excessibus eufortuitorum potentie et diuitiarum et amicorum: et aliorum talium subiici: neque volunt neque sciunt: et hoc statim a primordio existit pueris existentibus propter delicias enim: neque doctoribus subiici ipsis consuetum: qui autem secundum excessum in indigentia horum humiles valde vt hi quidem principari nesciant: sed subiici seruili principatu. Uult ciuitas ex equalibus esse et similibus quam maxime: hic autem existit maxime mediis. Saluantur in ciuitatibus medii maxime ciuium: neque enim ipsi aliena desiderant sicut pauperes: neque substantiam horum alteri: quemadmodum pauperes eaque diuitum concupiscunt: et propterea quod neque insidias patiuntur: neque fraudes moliuntur: sine periculo degunt. Communio politica optima est per medicos: et tales contingit bene pollitizare ciuitates: in quibus vtique multum quod

Commented [CN1]: fol.52va

medium. Eufortinium maximum est pollicizantes substantiam habere mediam et sufficientem. Ubi multum quod inter medium minime fiunt conturbationes et dissensiones polliciarum et magne ciuitates sunt magis sine seditiōibus propter eandem causam: quia multum quod medium. In paruis autem facile diuidere omnes in duo: vt nihil reliquatur medium: et omnes fere egeni vel opulenti sunt. Libro 5. capitulo 6. Commune est et in democratia et in oligarchia: et in monarchia: et in omni pollicia: neque crescere valde vllum preter commensurationem: sed magis tentare paruas et multi temporis dare honores quam breuiter magnos: corrumpitur enim et non omnes viri fere bonam fortunam. Legibus sic ordinandum est vt nullus fiat multum excedens potentia: neque amicorum neque pecuniarum. Difficile forte aut impossibile bene legibus regi eam ciuitatem: que valde multorum hominum est. Idem iconomicorum libro i. Ciuitas domorum multitudo est et loci et prediorum copia ad bene viuendum. 5. capitulo. Ciuitas multitudo est non quecumque: sed ad vitam per se sufficiens. 10. capitulo. Omnis pollitica communitas constat ex principantibus et subiectis. 11. capitulo. Plurime ciuitatum bellantes quidem saluantur: Postquam autem obtinuerunt principatum pereunt: rubiginem enim contrahunt sicut ferrum pacem ducentes. Idem rethoricorum libro i. capitulo 12. Sunt autem ciuitates quattuor: democratia: oligarchia: aristocratia: monarchia. Est autem democratia ciuitatis: in qua sorte distribuuntur principatus. Oligarchia autem: in qua qui in honoribus. Aristocratia autem in qua qui secundum eruditionem: eruditionem autem dico ea que a lege posita: qui enim immanserunt in legitimis in aristocratia principatur: necesse autem hos videri optimos. Monarchia autem est secundum nomen in qua vnus omnium dominus est: harum autem que quidem secundum ordinem quandam regnum: quem autem indeterminata tyrannis. Idem ethicorum libro 10. et finali capitulo 8. et finali. Desiderantibus de politica scire opus esse videtur experientia. Idem magnorum moralium libro i. capitulo i. Oportet siquis debet in politicis practicus esse secundum mores esse studiosum. Politica est optima potentia. 61. capitulo. Politicum est quod lege est non quod natura.

Jesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 10. Ciuitates inhabitabuntur per sensum prudentium.

Salustius in catilinario. Labore ac iustitia res publica crescit. Semper in ciuitate quibus opes nulle sunt: bonis inuident: malos extollunt: vetera odere: noua exoptant: odio suarum rerum mutari omnia student.

Tullius philipicorum libro i. Bene de re publica mereri laudari coli diligere gloriosum est. Metui vero et ob id odio esse inuidiosum detestabile imbecillum caducum. Libro 2. Charitate et beniuolentia ciuium septem oportet esse: non armis. Libro 7. In corpore si quid huiusmodi est quod reliquo corpori noceat: vri secarique patimur: vt membrorum aliquod potius quam totum corpus intreat. Sic in rei publice corpore vt totum saluum sit: quicquid est pestiferum amputetur. Libro 12. et penultimo. Omnibus bonis expedit saluam esse rem publicam: sed in his qui fortunati sunt: magis apparet. Idem inuectiuarum in catilinam libro i. Fuit quondam in hac re publica virtus: vt viri fortes acrioribus suppliciis ciuem perniciosum quam acerbissimum hostem cohercerent. Idem inuectiua in salustium. Plerumque res publica priuatis crescit inimicitii: vbi nemo ciuis qualis sit potest latere.

Commented [CN2]: fol.52vb

Commented [CN3]: fol.53ra

Seneca in epistolis ad lucillum libro 14. epistola i. Nemo eorum qui in re publica versantur quos vincat: sed a quibus vincatur aspicit: et illis non tam iocundum est multos post se videre quam graue est aliquem ante se habere.

Valerius maximus libro 2. titulo de institutis antiquis Romani adeo magna charitate patrie tenebantur: vt archana consilia patrum conscriptorum multis seculis nemo senator enunciauerit. Libro 4. titulo de moderatione: Stasippus teieates: orantibus amieis vt grauem in administratione reipublice et emulum sibi vehementem aduersarium: sed alioquin probum et ornatum virum qualibet ratione vel tolleret vel submoueret: negaret se facturum. Neque in tutelam patrie bonus cuius locum obtineret malus et improbus occuparet: sed que vehementi aduersario vrgeri quam patriam egregio aduocato carere preoptauit. Titulo de his qui ex inimicis iuncti sunt amicitia. Emilius lepidus bis consul et pontifex maximus splendoreque horum par vite grauitate diuitias inimicitias cum fuluio flacco eiusdem amplitudinis viro gessit. Quas simul vt censores renunciati sunt in campo deposuit. Existimans non oportere eos priuatis inimicitias dissidere qui publice summa iuncti essent potestate. Sextus liuius salinator etsi neronis odio ardens in exilium profectus fuerat testimonio eius precipue afflictus: tamen postquam eum inde reuocatum ciues collegam illi in consulatu dederunt: et ingenii sui quod erat acerrimum et iniurie quam grauissimam acceperat obliuisci sibi imperauit: ne si desidente animo consortionem imperii vsurpare voluisset pertinacem se exhibendo inimicum malum consulatum agere. Que quidem mentis ad tranquiliorem habitum inclinatio in asperso ac difficili tempore articulo plurimum salutis vrbi atque italie attulit: quia pari virtutis impetu: connisi terribiles peruincas vires contuderunt. Pitacus mitileneus cuius aut meritis tantum ciues debuerunt aut moribus crediderunt: vt eius suffragiis tyrannidem defenderent: tandiu illud imperium sustinuit quandiu bellum de sigaco cum atheniensibus gerendum fuit. Postquam autem pax victoria parata est: continuo reclamantibus mitileneis deposuit: nec dominus ciuium vltra quam rei publice necessitas exegerat permaneret. Atque cum recuperati agri dimidia pars consensu omnium offerretur auertit animum ab eo munere: deforme iudicans virtutis gloriam magnitudine prede minuere.

Cato capitulo i. Pugna pro patria.

Cassiodorus epistolarum libro i. epistola 20. Unicuique patria sua carior est. 38. epistola. Interdum expedit patriam negligere: vt sapientiam quis possit acquirere. Libro 2. epistola 29. Res publica siquidem iure semper equitatis augetur. Libro 3. epistola 6. Letam reddit faciem publicam honorata frequentia. 10. epistola. Nobilissimi cuius est patrie sue augmenta cogitare. 19. epistola. Fructuosus esse debet publicus labor. Libro 4. epistola 30. Decet quidem cunctos patrie sue augmenta cogitare: sed eos maxime quos res publica summis honoribus obligauit. Libro 5. epistola 31. Utilitatem publicam diuturnam conuenit ludificatione differri. Libro 7. epistola 2. Dum tempus potestatis prolixum queritur: culparum obprobria non vitantur. Libro 6. epistola 11. Constat felicem esse rem publicam que multis ciuibus resplendet ornata. Libro 8. epistola 30. Cuius animum non habet qui vrbs sue gratia non tenetur. Libro 9. epistola 17. Quorum gratia impetrare possunt qui suis ciuibus displicere meruerunt. Libro 10. epistola 6. Necessarium probatur esse reipublice personas dignitatibus aptas eligere. Libro 12. et finali epistola i. Ad vtilitates publicas esto sollicitus iniuncta morali compulsione procura.

Commented [CN4]: fol.53rb

## De populo: Rubrica 2.

Isocrates in exhortationibus capitulo i. Conuersantem in democratia oportet demulcere populum.

Aristoteles rethoricorum libro 3. et finali capitulo 14. Quanto fuerit maior populus: tanto remotior intellectus. Idem polliticorum libro 6. capitulo 3. Optimus populus est qui terre cultiuus est.

Commented [CN5]: fol.53va

Tullius rethoricorum artis noue libro 7. et finali circa fine capituli 17. Noli saturnine nimium populi frequentia tutus esse: multi iacent graci. Idem philippicorum libro 2. Charitate et beniuolentia ciuium sceptrum oportet esse: non armis. Idem tusculanarum questionum libro 2. Philosophia paucis est contenta iudicibus: multitudinem consulto ipsa fugiens: eique ipsi et suspecta et inuisa est.

Quintilianus declamationum 10. declamatione. Non habet vlla turba prudentiam singulorum: siue quod publicos minus capimus affectus: siue negligentior est qui se non putat soluere debere rationem: et multa fiducia facimus omnium. Nihil est crudelius morte hominum quos populus occidit.

Seneca tragediarum in octauia capitulo 4. Uis magna populi est. Capitulo 19. et finali. O funestus multis populi / Uirusque fauor: qui cum flatu / Uela secundo ratis impleuit: / Uexitque procul languidos. Idem. Deserit alto seuoque mari. / Idem epistolarum ad lucillum libro 4. epistola 8. et finali. Nunquam volui populo placere: nam que ego scio non probat populus: que probat populus ego nescio. Quis cui placet virtus placere potest populo? Malis artibus fauor popularis queritur. Malis tibi placere quam populo. Libro 8. epistola 2. et penultima. Hos mores habet populus: hos imperitissimus quisque in secreta irrumpere cupit. Idem in prouerbiis. Frons nostra populo conuenit. Meliorem vitam sequemur quam vulgus: non contrariam.

Lucanus libro 3. Nescit plebs ieiunia timere. / Damna mouent populos si quos sua inura tuentur. Non sibi sed domino grauis est que seruit egestas.

Ualerius maximus libro 5. titulo de ingratis. Ligurgo neque vite summe syncritas neque constantissimus erga parriam amor neque leges salutariter excogitate auxilio esse potuerunt: quo minus infestos ciues experiretur. Sepe enim lapidibus petitus publico furore. priuatus etiam oculo: ad vltimum ipsa patria lacedemonum pulsus est. Quid alie facient vrbes vbi etiam illa que constantie et moderationis et grauitatis eximiam sibi laudem vendicauit tam ingrata aduersus tam benemeritum extitit.

Commented [CN6]: fol.53vb

Lex codicum titulo de penis. 1. decurionum filii: Uane voces populi non sunt audiende.

Marcialis cocus libro vndique suscepto capitulo 2. Predicat hermagoras: non omnibus esse placendum. / Elige de multis: regule cui placeas.

Cecilius firmianus de beata vita libro 2. Ueritas a vulgo solet variis sermonibus dissipata corrumpi.

Claudianus libro i. Mobile mutatur semper cum principe vulgus.

Cato capitulo 3. Iudicium populi: nunquam contempseris vnus. Ne nulli placeas: dum vis contemnere multos.

Boetius de consolatione libro 3. 11. capitulo. Plures magnum sepe nomen falsis vulgi opinionibus abstulerunt. Sapiens bonum suum non populari minore: sed consciencie veritate metitur. Popularis gloria nec iudicio prouenit: nec vnquam firma perdurat.

Heinricus samariensis libro i. parte 2. Migrat in exilium virtus: vitiumque triumphat. / Regnat in populis. grande tribunal habet.

Cassiodorus epistolarum in prohemiiis: Alimoniam supra omnia populi plus requirunt. Libro 6. epistola 18. Nescit plebs tacere. Plebs interdum: et hoc loquitur quod a nemine perpetratur.

Prouerbum vulgare. Quel che pouolo endeuina: de raro chel no sea.

#### De principibus: ducibus et regibus: Rubrica 3.

In exodo capitulo 22. Principi populi tui non maledices.

Salomon in prouerbiis capitulo 11. Ubi non est gubernator: populus corruet. 104. capitulo. In multitudine populi dignitas regis et in paucitate plebis ignominia principis. 16. capitulo. Indignatio regis nucii mortis: et vir sapiens placabit eum. In hylaritate vultus regis vita. Clementia regis quasi humber serotinus. Non decet principem labium mendax. Capitulo 20. Sicut rugitus leonis: ita et terror regis. qui prouocat eum: peccat in animam suam. 20. capitulo. Dissipat impios rex sapiens. Misericordia et veritas custodiunt regem: et roboratur clementia thronus eius. 22. capitulo. Qui diligit cordis mundiciam propter gratiam labiorum suorum: habebit amicum regem. 24. capitulo. Timete dominum et regem. 29. capitulo. Cum impii sumpserunt principatum gemet populus. Rex iustus erigit terram. Idem in ecclesiastice capitulo 30. Uhe tibi terra vbi rex puer est: et cuius principes mane comedunt. Beata terra cuius rex nobilis est: et cuius principes vescuntur in tempore suo: ad reficiendum et non ad luxuriam.

Cronica de nugis philosophorum capitulo 3 scilicet de solone. Solon qui fuit vnus de septem sapientibus dicebat regem fortissimum vi. Idem dicebat principare prius edoctus subesse principi. 5. capitulo scilicet de pictaco. Pictacus mitilineus qui vnus de septem sapientibus ait: principatus virum ostendit.

Isocrates in exhortationibus capitulo 2. prope finem. Sicut conuersantem in democratia oportet demulcere populum: sic et conuersantem in monarchia decet mirari regem.

Aristoteles politicorum libro i. capitulo i. Principatus et subiectum natura propter salutem sunt. 3. capitulo. Semper melior est principatus qui meliorum subiectorum. 8. capitulo et finali. Masculus natura femella principalior est. Si principatus non erit sobrius et iustus: quomodo principabitur bene? Si vero subiectus quomodo subiicietur bene? Principem quidem perfectam habere oportet moralem virtutem. Libro 2. capitulo 6. Principari quidem non facile valde pauperibus. 8. capitulo. Prauum vtique videbitur esse plures principatum eundem principari. Libro 3. capitulo 2. Non est bene principari eum qui non sub principe fuit. 6. capitulo. Honores dicimus esse

Commented [CN7]: fol.54ra

principatus. 9. capitulo et penultimo. Qui intellectum iubet principari: videtur iubere principari deum et leges: qui autem hominem iubet apponit et bestiam. Qui concupiscentia et furore principatum habuerint: tandem et optimos viros interiment. Libro 4. capitulo 3. Sine principibus impossibile est esse ciuitatem. Libro 5. capitulo 6. Non similiter facile est malignari pauco tempore principantes et multo. Tria quedam oportet habere futuros principari: principales: principatus. Primo quidem amorem ad consistentem pollitiam: deinde potentiam maximorum operum principatus. Tertio autem virtutem et iustitiam. Idem rethoricorum libro i. capitulo 20. Principari delectabilissimum est. Principes oportet sapere. Idem ethicorum libro 5. capitulo i. Principatus virum ostendit. Idem topicorum libro 3. Nemo iuuenes elegit duces: eo quod non constat prudentes esse.

Commented [CN8]: fol.54rb

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 10. Principatus sensati stabilis erit. Qualis est rector ciuitatis tales et inhabitantes in ea. Rex insipiens perdet populum suum. Regnum a gente in gentem tranfferetur propter iniustitias et iniurias et contumelias et diuersos dolos. 19. capitulo. Qui potestatem sibi assumit iniuste: odietur. 32. capitulo. Rectorem te posuerunt: noli extolli: esto in illis quasi vnus ex ipsis.

Salustius in iugurtino: Natura mortalium auida est imperii.

Tullius philippicorum libro 2. Charitate et beniuolentia ciuium sceptrum oportet esse: non armis.

Philon in libro sapientie capitulo 6. Rex sapiens populi stabilimentum est.

Ouidius epistolarum 16. epistola. An nescis longas: regibus esse manus. Idem de arte amandi libro 3. et finali. Non bene cum sociis: regna venusque manent. Idem de ponto libro 2. epistola 9. et antepenultima. Regia crede mihi res est succurrere lapsis. / Conueniens homini est hominem seruare voluptas. / Et melius nulla queritur arte fauor.

Petrus apostolus epistola prima: Regem honorificate.

Paulus apostolus in epistola ad romanos capitulo 13. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Principes non sunt timori boni operis: sed mali. Uis non timere potestatem bonum fac: et habebis laudem ex illa: dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris: time: non enim sine causa gladium portat: dei enim minister est iudex in iram ei qui malum agit.

Commented [CN9]: fol.54va

Seneca tragediarum in thieste capitulo 3. Ubi non est pudor / Nec cura iuris: sanctitas: pietas fides: / Instabile regnum est. In medea capitulo 3. Rex timendus est. Capitulo 4. Equum atque iniquum regis imperium feras. In agamenone capitulo 3. Perluceat omne regie vitium domus. In octauia capitulo 10. Ferrum tuetur principem: Melius fides. / Decet timeri cesarem: At plus diligi. / Male imperatur cum regit vulgus duces. Capitulo 18. Quis regere dementes valet? Idem de clementia. Natura commentata est regem: quod ex aliis animalibus licet cognoscere vt ex apibus. Idem de consolatione ad marciam. Turpis est nauigii rector cui gubernacula fluctus eripuit: qui fluctuantia vela deseruit permisit tempestati ratem. Idem in prouerbiis. Male imperando summum imperium amittitur.

Lucanus libro 8. Nil pudet assuetis sceptris mitissima sors est. / Regnorum sub rege nouo.

Frontinus libro 4. et finali titulo 7. Paulus imperatorem senem moribus dicebat esse oportere: significans moderatiora sequenda consilia.

Uegetius de re militari libro i. titulo i. Non quemquam magis decet vel meliora scire: vel plura quam principem: cuius doctrina omnibus potest prodesse subiectis. Libro 2. titulo 5. Maiestas imperatoris secundum deum generi humano diligenda est et colenda: nam imperatori cum augusti nomen accepit: tanquam presenti et corporali deo fidelis est prestanda deuotio: impendendus peruigil famulatus. deo enim vel priuatus vel militaris seruit cum fideliter eum diligit qui deo regnat auctore. 9. titulo. Ad perfecti laudem redundat virtus subiectionum.

Lex digestorum titulo de officio presidis l. congruit. Congruit bono et graui presidi curare: vt pacata atque quieta sit prouincia quam regit.

Boetius de consolatione libro i. capitulo 8. Plato ait beatas fore res publicas si eas vel studiosi sapientie regerent: vel si earum rectores studere sapientie contigisset.

Cassiodorus epistolarum libro i. epistola 8. Tuta est conditio subiectionum vbi viuunt sub equitate regnantium. 15. epistola. Regnantis facultas tunc fit ditior cum remittit: et acquirit nobiles thesauros fame neglecta vilitate pecunie. 18. epistola. Pernitiosa res est in imperante tenuitas. 22. epistola. Decet regalis apicis curam generalitatis custodire concordiam. Ad laudem regnantis trahitur si ab omnibus pax ametur. 29. epistola. Benigni principis est delicta non tam velle punire quam tollere. Libro 2. epistola 2. Sub imperio boni principis omnium fortune proficiet. In laudem regnantis proficit quod subiectus acquirit. 29. epistola. Regnantis est gloria subiectionum ociosa tranquillitas. Libro 3. epistola 11. Beneficia siquidem sunt que regna sublimant: et liberalitatis domus iugiter potest crescere: si sibi subiectos studeat ampliare. 12. epistola. Facilius est quippe si dicere fas est errare naturam quam dissimilem sui princeps possit formare rem publicam. 13. epistola. Is potest bene regere qui se studet sub decore tractare. 29. epistola. Hec sunt regia dona quod semina: sparsa in segetem coalescunt: et in vnum coacta depereunt. 38. epistola. Principis opinionem longe lateque disseminat subiectionum custodia securitas. 44. epistola. Theodoricus rex gottorum ait: Nobis propositum est deo iuuante sic vincere vt subiecti se doleant nostrum dominium tardius acquisisse. 50. epistola. Felicitas regnantis est famulantes amare. Libro 4. epistola 12. Semper auget principes obseruata iustitia. Libro 5. epistola 2. Semper prodest diuitum regum acquisita concordia: qui dum paruo munere liniuntur maiore semper compensatione prospiciunt. 39. epistola. Quies suauissima populi: et dispositio tranquilla regionum preconium probatur esse regnantium. 44. epistola et finali. Sic est in principibus humilitas gloriosa: quemadmodum in mediocribus odiosa potest esse iactantia. Libro 6. epistola 16. Regis consilium solos decet scire grauissimos. Libro 6. epistola 16. Omnia sine principe confusa sunt: et dum vnusquisque iuxta voluntatem suam cogitat viuere regulam cognoscitur amittere discipline. 27. epistola. Utile est semper eligere: cui reliqui debeant obedire: quia si voluntas diuersorum vaga relinquitur confusio culparum amica generatur. Libro 8. epistola 2. Magnum profecto felicitatis genus est obtinere sine contentionibus principatum. 10. epistola. Arduum nimis est principis meruisse secretum. Libro 9. epistola 9. Disciplina imperandi est amare quod multis expedit. 13. epistola. Dona regalia quamuis parua sublimant: quia simul et meritorum gratiam recepisse creditur: qui principali munere subleuatur. Libro 10. epistola 3. Tollitur necessitas principibus excedendi quotiens assueuerint propria moderari. 11. epistola.

Commented [CN10]: fol.54vb

Commented [CN11]: fol.55ra

Quicquid a subiectis proficitur: regnantium laudibus applicatur. Libro 11. epistola 2. Hoc est profecto difficillimum regnandi genus exercere iuuenem in suis sensibus principatum. Libro 12. et finali epistola 2. Omnes qui gremiorum celsa petimus: vitiorum humilia deseramus: sit in nobis frons libera: vt aliorum possimus emendare peccata. Equat crimen omnes quos inquinat: et ideo dissimilis ab accusato debet esse qui iudicat. 3. epistola. Uarium poscit remedium diuersa qualitas passionum. Sic qui populis preesse cognoscitur non vno consilio predicturus inuenitur. feroces distractione premendi sunt: mansueti ciuilibus admonendi: dolosi caute: simplices sub leuitate tractandi sunt. Sub continentia irascere: sub maturitate dstringe. 13. epistola. Pietas siquidem principum totum custodit imperium: et dum illis vicissitudo digna redditur incolumia rei publice membra seruantur. 19. epistola. Rex letus optatur ab omnibus.

Gregorius in pastoralis capitulo 18. Sit rector bene agentibus per humilitatem socius: contra delinquentium vitia per zelum iustitie erectus. Tunc necesse est vt rectores a subditis timeantur quando ab eis deum timeri minime deprehendunt: vt humana saltem formidine peccare metuant: qui diuina iudicia non formidant. Summus locus est: bene regitur cum his qui preest vitiis potius quam fratribus dominatur.

Ioannes solobriensis anglicus in polycratone libro 5. Traianus optimus imperator arguentibus eum amicis quod in omnes et vltra quam imperatorem deceat communis esset: respondit se talem velle imperatorem esse priuatis quales imperatores sibi esse priuatos optasset.

Commented [CN12]: fol.55rb

Gualterius de castellione libro i. Parce humili: facilis oranti: frange superbum. / Non murus non arma ducem tutantur auarum. / Instabile est regnum: quod non clementia firmat. Libro 9. et penultimo. Testantur eorum / Finis amicitias regum non esse perennes.

Prouerbiu metrice extraordinem librorum vagantia. Sit rector terre: nolens obprobria ferre. / Prudens legalis: audax nulli specialis.

Prouerbiu vulgare. Lo tutti eguale deo vuol male.

#### De moribus subditorum regibus et principibus: Rubrica 4.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 10. Qualis est rector ciuitatis tales et inhabitantes in ea.

Cassiodorus epistolarum libro 3. epistola 12. Facilius est quippe si dicere fas est errare naturam quam dissimilem sui princeps possit formare rem publicam.

#### De tyrannide et tyranno: Rubrica 5.

Iob historia capitulo 15. Cunctis diebus suis ipsius superbit: et numerus annorum incertus est tyrannidis eius. Sonitus terroris eius semper in auribus illius. et cum pax sit: ille semper insidiis suspicatur. 34. capitulo. Dominus regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.



Cronica de nugis philosophorum capitulo 8. scilicet de periandro. Periander corinthius vnus de septem sapientibus ait: debentes secure tyrannos fieri beniuolentia fulciri: non armis.

Aristoteles ethicorum libro 8. capitulo 5. Tyrannus sibiipsi conferens intendit: rex autem quod subditorum. Prauitas monarchie tyrannus: malus autem rex tyrannus fit. In tyrannide nihil vel parum amicitie est. Idem polliticorum libro 3. capitulo 8. Ciues custodiunt armis reges: tyrannos autem extranei: hi quidem enim secundum legem et voluntariis. Hi autem inuoluntariis principantur. 9. capitulo et penultimo. Legem principari eligibilis magis quam ciuium vnum aliquem. Qui intellectum iubet principari deum et leges: qui autem homine est iubet apponit et bestiam. Quando concupiscentia totale et furor principatum habuerint tandem et optimos viros interiment. Libro 6. capitulo 6. Non similiter facile est malignari pauco tempore principantes et multo. 7. capitulo. Si per fraudem principatur aliquis vel per violentiam: iam hoc videtur tyrannus esse. Non volentibus mox non erit rex: sed tyrannus et non volentium. 8. capitulo. Sunt et olim dicta ad saluationem: vt possibile est tyrannidis: excellentes perimere: et sapientes destruere: et neque communicationes finire: neque sodalidatem: neque disciplinam: neque aliud tale: sed omnia cauere vnde consueuerunt fieri domine sapientie et persuasio. Et neque scholas neque alias collectiones permittere fieri vacatuias: et omnia facere ex quibus quam maxime ignoti inuicem erunt omnes: notitia enim fidem facit magis adinuicem. Malorum amicus est tyrannus. Tyranni adulationem recipientes gaudent: hoc autem nullus vtique faciet sensum habens liberum. Coniecturat tyrannus tria. Unum vt modica sapiant subditi: nullus enim pusillanimus insidiabitur. Secundum autem vt discredat inuicem: non dissoluitur: prius enim tyrannus antequam credant subditi sibiipsis propter quod et epikeis aduersatur tanquam nociuis ad principatum: non solum propterea quod non volunt subiici dispotice: sed et quia fideles sunt sibiipsis et aliis: et quia non produnt neque seipsos neque alios. Tertium autem impossibilitas negociorum: nullis enim manum mittit ad impossibilia: quare neque tyrannidem dissoluere non existente potentia. Omnia reducet quis tyranica voluta ad has hypotheses: hoc quidem vt subditi non credant inuicem: hoc autem vt non possint: hoc autem vt parunt sapiant. Communis custodia omnis monarchie est nullum virum facere magnum: sed siquidem plures seruabunt enim inuicem. Si autem forte aliquando oporteat facere magnum: nequaquam secundum morem audacem: maxime enim inuasius talis. Libro 5. capitulo 7. Propter iniustitiam: et propter timorem: et propter contemptum multi subditorum insurgunt aduersus monarchias.

Commented [CN13]: fol.55va

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 19. Qui potestatem assumit iniuste odietur.

Terentius in adelphis: Que sententia imperium credat grauius aut stabilius in quod fit quam id quod amicitia adiungitur.

Tullius de amicitia: In vita tyrannorum nulla fides: nulla charitas: nulla stabilis beniuolentie potest esse fiducia: omnia semper suspecta atque sollicita: nullus locus amicitie. Quis enim aut diligit quem metuit: aut eum a quo se metui putet: coluntur tamen simulatione amicitie duntaxat ad tempus.

Seneca tragediarum in troade capitulo 4. Uiolenta nemo imperia continuit diu. In medea capitulo 4. Iniqua nunquam regna perpetuo manent. Idem de clementia. Tyranni in voluntate seuiunt: regem non nisi ex causa ac necessitate.

Commented [CN14]: fol.55vb

Ualerius maximus libro 7. titulo Sapienter dicta aut facta. Aristophanes in comedia introduxit remissum ab inferis atheniensium tyrannum periculum vaticinentem non oportere in vrbe nutriri leonem: sin autem sit aliter obsequi ei conuenire. Monet enim vt precipue nobilitatis et concinnati ingenii iuuenes refrenentur. Nimio vero fauore ac profulsa indulgentia pasti quo minus potentiam obtineat ne impediantur quod stultum et inutile sit eas obrectare vires quod ipse fouens.

Boetius de consolatione libro 3. capitulo 9. Expertus sortisue periculorum tyrannus scilicet dionysius: qui olim fuit tyrannus sicilie regni metus pendentis super verticem gladii terrore simulauit.

Uersificator fabule esopi 62. fabula et penultima. Nil magis horrendum quam flebilis aula tyranni / Qua pietas hominis cum ratione petit / Raptores famulique truces scelerumque ministri: / Iniustus dominis impietate placent. / Non amat insontes: sed sontes aula tyranni / Complacet iniusto raptus iniquus ero.

Gualterius de castellione libro 4. Que rara tyrannis / Semper inest: fregit pietas generosa rigorem.

#### De iure lege et pacto: Rubrica 6.

Commented [CN15]: fol.56ra

Isaias propheta capitulo 10. Uhe qui condunt leges iniquas.

Cronica de nugis philosophorum capitulo 3. scilicet de solone: Solon qui fuit vnus de septem sapientibus dicebat leges fuliginibus similes: etenim in illas siquid inciderit quod leue et debile sustinere. Si vero maius residentes ire. 2. capitulo scilicet de chilone. Chilo lacedemonius qui fuit vnus de septem sapientibus iubebat legibus obedire.

Isocrates in exhortationibus capitulo 2. Obtempera legibus. Obedias legibus que regibus subsunt.

Aristoteles rethoricorum libro i. capitulo 10. Iudicium quidem legislatoris non secundum partem: sed de futuris et vniuersalibus est. 6. capitulo. In legibus est salus ciuitatis. 18. capitulo. Praua facere preter legem malitia est et incontinentia. 45. capitulo et finali. Pactum est lex propria et secundum partem. Lex pactum quoddam est. Pactum leges destruit. Idem polliticorum libro i. capitulo 4. Lex iustum quoddam est. Libro 3. capitulo 9. et penultimo. Sine appetitu intellectus lex est. Libro 7. capitulo 3. Lex ordo quidam est. Idem elecorum libro i. Lex est opinio plurium.

Tullius rethoricorum artis veteris libro 2. capitulo 5. Initium iuris a natura ductum videtur. Nature quidem ius est quod nobis non opinio: sed quedam innata vis afferat: vt religionem: pietatem: gratiam: vindicationem: obseruantiam: veritatem. Consuetudinis ius esse putatur id quod voluntate omnium sine lege vetustas comprobaret. Pactum est quod inter quos conuenit ita iustum putatur vt iuri prestare dicatur. Capitulo 9. Consuetudine ius est quod aut leuiter a natura tractum aluit: et in maius facit vsus: vt religionem: aut siquid eorum que ante diximus a natura profectum: maius factum propter consuetudinem videmus: aut quod in morem vetustas vulgi approbatione perduxit. Pactum est quod inter aliquos conuenit. Lege ius est quod in eo scripto quod populo exposito est vt obseruet continetur. Idem rethoricorum artis noue libro 2. capitulo 4. Lege huius est id quod iussu **populi** sancitum est. Consuetudinis ius est id quod sine lege equo ac

Commented [CN16]: fol.56rb

si legitimum fit vsitatum est. Idem de legibus libro i. Lex est ratio summa in natura que iubet ea que facienda sunt: prohibet que contraria. Legem bonam a mala nulla alia nisi nature norma

diuidere possumus. Non solum ius et iura natura diuiduntur: sed omnino omnia honesta et turpia. Idem de officiis libro. i. capitulo 39. Qui parti ciuium consulunt: partem negligunt rem perniciosissimam in ciuitate inducunt seditionem atque discordiam. Idem tusculanarum questionum libro i. Consensio omnium gentium lex nature putanda est. Idem de natura deorum libro 2. Lex est recti preceptio: prauique depulsio. Idem topicorum capitulo 3. Ius ciuile est equitas constituta: his qui eiusdem sunt ciuitatis ad res suas obtinendas.

Seneca epistolarum ad lucillum libro 16. epistola 2. Legem breuem oportet esse quo facilius ab impietis teneatur: velut emissa diuinitus vox sit: iubeat non disputet.

Ualerius maximus libro 7. titulo sapienter dicta aut facta: Anatharsis leges aranearum telis comparabat: nam vt illas infirmiora animalia retinere valentiora transmittent: ita his humiles et pauperes constringi: diuites et prepotentes non alligari.

Lex digestorum titulo de iustitia et iure libro i. Ius est ars boni et equi. I. iustitia. Iuris precepta sunt hec: honeste viuere: alterum non ledere: suum cuique tribuere. Titulo de iniuriis. I. iniuriarum. §. i. Iuris executio non habet iniuriam. Titulo ad legem iuliam de vi publica. I. pe. Non puto nec verecundie nec dignitati: nec pietati conuenire: quicquam non iure facere. Titulo de variis et extraordinariis cognitionibus I. i. §. proinde. Est quidem res sanctissima ciuilibus sapientia: que precio nummario non est estimanda.

Lex autentica titulo hoc constitutio innouat etc. in principio: Quod medicamenta morbis hoc exhibent iura negociis.

Macrobius saturnaliorum libro 2. capitulo 20. Nisi pessimis effusisque moribus viueretur: profecto ferendis lagibus opus non fuisset. **Leges** bone ex malis moribus procreantur.

Commented [CN17]: fol.56va

Cato capitulo i. Patere legem quam tu ipse tuleris.

Cassiodorus epistolarum libro 3. epistola 17. Iura publica certissime sunt humane vite solatia: infirmorum auxilia potentum frena. Libro 4. epistola 27. Quicquid contra leges admittitur iusta execratione damnatur. Libro 5. epistola 39. Illa vere vita hominum est que iuris ordine continetur: nam beluarum ritus est sub casu viuere que dum rapiendi ambitu feruntur improuisa temeritate succumbunt. Libro 9. epistola 15. Iustissime siquidem leges vt bonis aperiunt: ita claudunt malis moribus actionem.

Montenarius in luna cleri capitula 117. Quando iura silent: nequeunt peccata silere.

#### De licentia facultate et regularitate: Rubrica 7.

Terentius in heautontimerumenon capitulo 9. Deteriores omnes sumus licentia.

Persius 5. satira. Apposita in tortos extendit regula mores. / Et premitur ratione animus vincique laborat.

Seneca in epistolis ad lucillum libro 2. epistola 3. Nemo est ex imprudentibus qui relinqui sibi debeat.

Gregorius in pastorali capitulo 4. Plerumque qui in aduersitatis magisterio sub disciplina comprimitur: si ad regiminis culmen eruperit in elationem vsu glorie permutatur.

Isidorus in sinonima soliloquiorum libro 2. Sepe occasio peccandi voluntatem facit.

Cassiodorus epistolarum libro 2. epistola 13. Melius semper legum pondere pressa curatur audacia: et dum metus talibus imponitur: peccandi licentia non prebetur. Libro 4. epistola 35. Obrueret quippe innocentia si laxaretur audacia.

Prouerbum vulgare. Lo non e gatta: insorze geballa. Quando gatta non e a cha: sorze peruasar va.

#### De iudicibus et iudiciis: Rubrica 8.

In exodo capitulo 23. Non declinabis in iudicio pauperis.

In leuitico capitulo 19. Non facies quod iniquum est: nec iniuste iudicabis. Nolite facere iniquum aliquod in iudicio: in regula: in **pondere**: in mensura: statera iusta et equa sint pondera: iustus modius: equusque sextarius. 24 capitulo. Equum iudicium sit inter vos: siue peregrinis: siue cuius peccauerit.

Commented [CN18]: fol.56vb

Moyses in deuteronomio capitulo 27. Maledictus qui peruertit iudicium aduene et pupilli et vidue.

Psalmistam psalmo 57. Si vere vtique iustitiam loquimini: recte iudicate filii hominum. 105. psalmo. Beati qui custodiunt iudicium et faciunt iustitiam omni tempore.

Solomon in prouerbiis capitulo 6. Ne declines ad dexteram neque ad sinistram. 17. capitulo. Qui iustificat impium: et qui condemnat iustum abominabilis est vterque apud dominum. 26. capitulo. Iudicium determinat causas.

Isaias propheta capitulo 5. Uhe qui iustificatis impium pro muneribus: et iustitiam iusti auferitis ab eo.

Aristoteles rethoricorum libro 2. capitulo 18. Iudex est qui in ciuilibus concertationibus inquisita iudicat.

Jesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 5. Iustifica pusillum et magnum similiter. 18. capitulo. Ante iudicium prepara iustitiam tibi.

Pylon in libro sapientie capitulo i. Diligite iustitiam qui iudicatis terram.

Oratius odarum libro 2. capitulo 58. Quotiens bonus atque fidus / Iudex honestum pretulit vtili: / Reiecit alta dona nocentium / Uultu: per obstantes cateruas / Explicuit sua victor arma. Idem in sermonibus libro 2. sermone 2. Male verum examinat omnis / Corruptus iudex.

Tullius de legibus libro 2. Quid magnificentius quam posse decernere vt magistratum. Idem de oratore libro 2. Plura multo homines iudicant odio aut amore: aut cupiditate: aut iracundia aut dolore: aut letitia: aut spe: aut timore: aut errore: aut aliqua permotione mentis quam veritate: aut prescripto: aut iuris norma aliqua: aut iudicii formula: aut legibus.

Oratius de tristibus libro i. capitulo i. Iudicis officium est vt res: ita tempora rerum / Querere. Idem de ponto libro 2. epistola 9. et antepenultima. **Conspicitur** nunquam meliore potentia causa. / Quam quotiens vanas non sinit esse preces.

Commented [CN19]: fol.57ra

Quintilianus declamationum 12. declamatione. Nos ideo magistratus legibusque amoribus nostris accepimus: ne sui quisque doloris iudex sit: et assidue scelerum cause se refellant si vltio imitabitur crimen. Si ad arma mittimur et instituitur perniciose nocendi contentio et in vicem leges ira succedat: premetur quidem innoxia infirmitas: et paucorum dominio subiecta plebs triste seruitium perferet.

Mattheus in euangelio capitulo 7. In quo iudicio iudicaueritis: iudicabimini: et in qua mensura mensi fueritis: remecietur vobis.

Ioannes in euangelio capitulo 7. Nolite iudicare secundum faciem sed iustum iudicium iudicate.

Iacobus in epistola vnica capitulo 2. Iudicium sine misericordia ei qui non fecit misericordiam: superexaltat autem misericordia iudicio.

Seneca tragediarum in medea capitulo 4. Qui statuit aliquid parte inaudita altera: / Equum licet statuerit haud equus fuit. Idem de tranquillitate animi: Semper in iudicio fauor efficit. Idem de clementia: Prope est vt libenter damnet qui cito: prope est vt inimicos puniat qui nimis. Idem in prouerbiis. Ad penitentium properat: qui cito iudicat. In iudicando criminosa est celeritas.

Ptolomeus in centiloquio capitulo 12. Beniulencia et maliulencia hominem in iudiciis errare faciunt.

Lex digestorum titulo de origine iuris. l. 2. Per eos qui iurisdictioni presunt effectus iuris accipitur. Quantum est enim eius in ciuitate esse: nisi sint qui iura regere possint.

Lex codicum titulo de iudeis. l. nullus: Iccirco iudiciorum vigor iurisque publici tutela videtur in medio constituta ne quisquam sibiipsi permittere valeat vltionem.

Ambrosius de officiis libro 2. capitulo 24. In iudicio gratia absit causa merita decernant.

Claudianus libro i. Merent captiue: pollute iudice leges.

Cato capitulo i. Equum iudica. Capitulo 2. Esto forti animo: cum sis damnatus inique. **Nemo** diu gaudet: sub iniquo iudice vincens. Capitulo 4. Iudicis auxilium: sub iniquo teste rogato.

Commented [CN20]: fol.57rb

Cassiodorus epistolarum libro i. epistola 3. Facilis recti persuasor est innocens iudex. Excessus tunc sunt in formidine cum creduntur iudicibus displicere. Libro 3. epistola 7. Tamdiu iudex dicitur quamdiu iustus putatur. 36. epistola. In causis semper est suspecta potentia. 39. epistola. Inumbrat famam publicam in consule tenacitatis obscuritas. Libro 4. epistola 10. Quid a bellica confusione pax tranquilla distabit: si per vim litigia terminentur. 28. epistola. Dignus est inter

alios sequenda decernere qui sibi modum visus est legitime conuersationis imponere. Libro 6. epistola 4. Est nimirum magnum et sigulare preconium si iudices non accipiant vbi sunt qui multum dare contendunt. 12. epistola. Prima equitas est a se presules inchoare: vt timeant criminosi quem nequeunt similem reperire. Nullas enim in se culpas timet reus quas habere respexit cognitorem. Si vos actus nullus damnat in altero quia natura est humani animi vt nitatur parcius vindicare quod se cognouerit amisisse. Libro 8. epistola 4. Tales decet esse aulicos viros vt nature bona iudicio frontis aperiant: vt possint agnosci de moribus dum videntur. Tacens enim plerumque despiciabilis est: et si eum lingua nobilitat. 15. epistola. Gloria regni est reperisse iudices exquisitos. Auari iudices nesciunt quantum delinquant. Nam cum vendunt aliena crimina sua faciunt esse peccata. Libro 9. epistola 9. Non minus est malum bellicum vitasse: quam seua discussionis euadere. Ipsa est vera securitas que de nulla iudicis iniquitate formidat. 19. epistola. Metus cuncta disponit: si reus crimen in iudicante non inuenit. Libro 10. epistola. 6. Cui iustitia committitur malis moribus non grauetur: alioquin inefficax est ab homine exigere quod agnoscitur non habere. 19. epistola. Illa sunt vera iudicia vbi neminem comprimit vlla timiditas. Libro 11. epistola 9. Inutile bonum est iudicem non accipere: et multis accipiendi licentiam prebuisse. 33. epistola. Non est hesitationis metus vbi non est iudicis venalis **auditus**. Libro 12. et finali epistola i. Quam periculosum est pati iudicem rationabiliter iratum: et illum de fortunis tuis decernem quem te constat grauiter irritasse.

Commented [CN21]: fol. 57va

Isidorus soliloquiorum libro i. capitulo i. Petit leges auaritia iudicante. Premia et dona legibus vires tulerunt. Ubique pecunia vincit. Ubique venale iudicium est. Libro 2. capitulo 41. Ancipitem diu deliberat sententiam. Nullum iudices suspicionis arbitrio: ante proba. et sic iudica. Periculosum est quempiam de suspitione iudicare. 49. capitulo. Munera sepe veritatem preuaricant. Cito violatur auro iustitia: cito corruptitur munere.

Auctor libri qui dicitur facetus capitulo 8. Qualis erit iudex: tales sunt quippe ministri. Si malus est dominus: fit populusque malus.

Gualterius de castellione libro i. Si lis inciderit: te iudice dirige libram / Iudicii: nec flectat amor: nec munera palpent / Nec moueat stabilem persone acceptio mentem. / Cum semel obtinuit vitiorum mater in aula / Pestis auaritie: que sola incarcerat omnes / Uirtutum species: spreto moderamine iuris. / Curritur in facinus: nec leges curia curat.

Montenarius in luna cleri capitulo 108. Iudex qui perimit scelerum fomenta: minister / Noscitur esse dei: qui vero negligit hostis.

Prouerbum metricum extraordinem librorum vagantia. Quattuor ista: metus: odium: dilectio: census: / Sepe solent hominum: rectos peruertere sensus.

Prouerbum vulgare. Chi a pare zuse per segur o va apleo. Rason per amore perde valore.

De placiditate et ferocitate regis et iudicis: Rubrica 9.

Seneca de clementia: Magni animi proprium est placidum esse et tranquillum quietumque.

Lex digestorum titulo de officio presidis l. obseruandum: Obseruandum est ius reddenti: vt in adeundo: quod facile se prebeat: sed conteruisse non patiat. Iudex in cognoscendo neque excandescere debet aduersus eos quos malos putat neque precibus calamitosorum illachrimari oportet: id enim non est recti et constantis iudicis cuius animi motum vultus detegit.

Auctor libri de formula honeste vite capitulo 8. **Seuerior** esto iudicio quam sermone: vita quam vultu.

Commented [CN22]: fol.57vb

Claudianus libro i. Peragit tranquilla potestas. / Quod violenta nequit: mandataque fortius vrget / Imperiosa quies. Libro 8. Publicus hinc ardescit: amor cum moribus equis. / Inclinat populo regale modestia culmen.

Cassiodorus epistolarum libro 6. epistola 24. et penultima. Utrumque laudabile est: vt bonus populus iudicem benignum faciat: et mansuetus iudex: grauissimum populum equabili ratione componat. Libro 10. epistola 7. Iudiciaria virtus est: lingue bonis abundare: et mentis temperantia custodire.

Gregorius in pastorali capitulo 18. Sit rector bene agentibus per humilitatem socius: contra delinquentium vitia per zelum iustitie erectus. Summus locus bene regitur: cum is qui prest vitiis potius quam fratribus dominatur.

Gualterius de castellione libro i. Ciuilitate argue sontes.

#### De causidicis et causidictione: Rubrica 10.

Tullius de oratore libro 2. Ego sepius video in causis aliquid male facere: homines minime malos.

Ouidius epistolarum 19. epistola et penultima. Optima non vlla causa tuente perit. Idem de arte amandi libro 3. et finali. Ius qui profitebitur assit / Facundus causam sepe clientis agat. Idem de ponto libro 2. epistola 2. Non est confessi causa tuenti rei.

Quintilianus declamationum 10. declamatione. Multum me vel vos fallit opinio iudices: si vllam causam ita euidentem deferri in forum posse putatis: cui nulla ne mendacii quidem velamenta contingant.

Iuuenalis libro 3. satira i. Purpuram vendit. / Causidicum vendi tunc ametistina conueni illis. / Est strepitum: a facie maioris viuere census.

Lex digestorum titulo de origine iuris l. i. In foro causas dicentibus nefas: vt ita dixerim videtur esse nulla prefatione facta iudici rem exponere.

Lex codicum titulo de postulando l. quisquis. Siquis adeo procax fuerit vt non ratione sed probris putet esse certandum. Opinioni sue **munitionem** patietur. Titulo de aduocatis diuersorum iudicum l. laudabile: Laudabile viteque hominum necessarium aduocationis officium: premiis oportet remunerari. Titulo si per vim vel alio modo etc. l. ii. Negociorum merita partium assertionem panduntur.

Commented [CN23]: fol.58ra

Prouerbiū extraordinem librorū vagantia. In propria causa aduocatum quere.

De legatis et nunciis: Rubrica 11.

Salomon in prouerbiis capitulo 13. Legatus fidelis sanitas.

Quintilianus declamationum 10. declamatione. Legatus a precepto non recedat.

Lucas in euangelio capitulo 10. Qui spernit me: spernit eum qui me misit.

Ioannes in euangelio capitulo 13. Qui accipit siquem misero me accipit. Qui autem me accipit: accipit eum qui me misit.

Cassiodorus epistolarum libro 2. epistola 6. Omnis legatio virum sapientem requirit. Libro 3. epistola 23. Iuuat probatis ordinanda mandare. Eorum secreta substantia est que committitur approbatis. Libro 6. epistola 17. Referenti non licet aliquid immutare.

De audientia et contumacia: Rubrica 12.

Moyses in deuteronomio capitulo 5. Non declinabis neque dexteram neque ad sinistram sed per viam quam precepit dominus deus ambulabitis vt viuatis: et beue sit vobis: et protelentur dies vestri in terra possessionis vestre.

Salomon in prouerbiis capitulo 15. Mens iusti meditatur obedientiam. Idem in ecclesiastice capitulo 4. Multo melior est obedientia quam stultorum victime.

Regum libro i. capitulo 15. Melior est obedientia quam victime.

Terentius in phormione capitulo 4. Inscitia est aduersus stimulum calces.

Uirgilius eneid libro 4. ante medium. Ocius omnes / Imperio leti parent: ac iussa facessunt.

Tullius de legibus libro 3. Qui imperat paruere aliquando necesse est: et qui modeste paret videtur quod aliquando imperet dignus esse.

Petrus apostolus epistola i. Subditi estote omni humane creature propter deum: siue regi quasi precellenti: siue ducibus tanquam ab eo missis: ad vindictam malefactorum: laudem vero bonorum. Adolescentes subditi estote senioribus.

Lucas in actibus apostolorum capitulo 9. Durum est contra stimulum calcitrare.

Paulus apostolus epistola ad romanos capitulo 13. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Qui resistit potestati: dei ordinationi resistit.

Seneca tragediarum in medea capitulo 4. Equum atque iniquum regis imperium feras.

Cato capitulo i. Foro pare.



Cassiodorus epistolarum libro 2. epistola 12. Imperium si in paruo contenitur: in omni parte violatur. Libro 11. epistola 9. Odium sibi excitat qui iustis resultat imperiis.

Prouerbiu vulgare: El no e seno repenare alaseio. / Lo tutti eguale deo vol male.

#### De facti probatione et testimonio: Rubrica 13.

In exodo capitulo 20. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.

In libro numeri capitulo penultimo. Ad vnus testimonium nullus condemnabitur.

Moyses in deuteronomio capitulo 19. Non stabit testis vnus contra aliquem: quicquid illud peccati et facinoris fuerit: sed in ore duorum aut trium testium stat omne verbum.

Salomon in prouerbiis capitulo 19. Testis falsus non erit impunitus.

Aristoteles rethoricorum libro i. capitulo 25. et finali. Nihil minus coacti falsa dicunt quam vera: et pertinaces non dicere vera: et facile mentientes tanquam requiescitur sceleris.

Tullius rethoricorum artis noue libro 2. capitulo 2. Uita hominis ex antefactis spectabitur. Argumentum est per quod res coarguitur certioribus argumentis: et magis firma suspitione. A quo sit factum maleficium hoc modo spectabitur: si telum: si vestimentum: si quid eiusmodi relictum: aut si vestigium rei repertum fuerit: aut cruor in vestimentis: aut si in eo loco comprehensus: aut vsus transacto negocio: quo in loco res gesta dicitur. Libro 4. capitulo i. Oportet testimonium cum re conuenire: aliter enim rem non potest confirmare. Idem topicorum capitulo 24. et finali. Testimonium dicimus omne quod ab aliqua re externa sumitur ad faciendum fidem. Persona non qualiscumque est testimonii pondus habet: ad fidem enim faciendam auctoritas queritur. Auctoritas in virtute inest maxima. Plerumque creditur his qui experti sunt. Per somnum: vnum: insaniam: multa sepe patefacta sunt. Idem inuectiuarum in catilinam libro i. Quid expectas auctoritatem loquentium: quorum voluntatem tacitorum perspicis. Idem inuectiua in salustium: Ubi res testimonia assunt quid opus est verbis.

Ouidius sine titulo seu amorum libro i. capitulo 10. Nec bene conducti vendunt periuria testes. Libro 2. capitulo 2. Culpa nec ex facili quamuis manifesta probatur.

Paulus apostolus epistola ad corinthios capitulo 13. et finali. In ore duorum vel trium testium stat omne verbum.

Seneca in prouerbiis. Fatetur facinus qui iudicium fugit.

Auctor libri de formula honeste vite capitulo 2. Testimonium veritati non amicitie reddas.

Cato capitulo 4. Productus testis salua tamen ante pudorem. / Quantumcumque potes: celato crimen amici.

Cassiodorus epistolarum libro 5. epistola 39. Quanto vehementior pena est: tanto eius rei debet inquisitio plus haberi: ne amore vindicte innocentes videantur vite pericula sustinere.

Commented [CN25]: fol.58va

De naturalibus iudiciis facti: Rubrica 14.

Oratius epistolarum libro i. epistola i. Hic murus eneus extat. Nil conscire sibi: nulla palescere culpa.

Ovidius methamorphosis libro 2. Heu quam difficile est crimem non prodere vultu.

Quintilianus declamationum 16. declamatione. Accidere nocentibus solet obuia semper errantium **patrociniorem** verba variari. 17. et finali declamatione. Integritatis prima simplicitas est nihil timere.

Commented [CN26]: fol.58vb

Seneca tragediarum in thieste capitulo 8. Heret in vultu trucis imago facti.

Statius thebaidas libro 2. O semper timidum scelus.

Iuuenalis libro 2. satira i. Cui frigida mens est: / Criminibus tacita sudant precordia culpa.

Prudentius de psicomachia capitulo 10. Pallor in ore / Conscius audacis: facti dat signa reatus.

De vulgari seu famosa asseueratione: Rubrica 15.

Isocrates in exhortationibus capitulo 2. Uerere crimina tam etsi falsa sunt: nam plerique veritatem ignorant: opinionem autem coniectant.

Uirgilius eniede libro 4. circa principium. Fama malum: quo non aliud velocius vllum / Mobilitate viget: viresque acquirit eundo. / Parua motu primo: mox sese attollit in auras / Ingredditurque solo: et caput inter nubila condit. Libro 7. ante medio et in 3. et in 8. Fama volat.

Tullius topicorum capitulo 4. et finali. Fama vulgi est quoddam multitudinis testimonium.

Quintilianus declamationum 17. declamatione et finali. Rumor est res sine teste sine iudice res ex incertis: improbissima: maligna: fallax.

Seneca in prouerbiis. Bona opinio hominum tutior est pecunia. Bona fama in tenebris proprium splendorem obtinet. Damnum appellandum est cum mala fama lucrum.

Marcialis cocus libri vndique suscepto capitulo 3. Rumor falsidicus surgit: et ecce cadit.

Auctor libro de formula honeste vite capitulo 4. Rumoribus criminum et suspitionibus minime sis credulus: sed potius malignis qui per speciem simplicitatis ad nocendum aliquibus surrepunt oppositissimus.

Lucanus libro i. Innumeras soluit falsa preconia linguas.

Boetius de consolatione libro i. capitulo 12. et penultimo. Plures magnum nomen falsis vulgi **opinionibus** abstulerunt. Sapiens bonum suum non populari rumore: sed conscientie veritate metitur.

Commented [CN27]: fol.59ra

Cassiodorus epistolarum libro 7. epistola 2. Nulla potestas est que qualitatem fame sue de ore hominum possit auferre.

Auctor rudium dogmatis libro 2. Error minimo crescit: sed non cito fama quiescit. / Quamuis mentitur crescit eundo tamen.

Prouerbiu metricu extraordinem libroru vagantia. Fama boni lente: volat inuidia retinente. / Fama repleta malis: auium deducitur alis.

De diuersis penis diuersorum criminu statutis in lege mosaica: Rubrica 16.

In exodo capitulo 21. Qui percusserit hominem volens occidere: morte moriatur. Siquis per industriam occiderit proximum suum et per insidias: ab altari meo euellat eum vt moriatur. Qui percusserit patrem suum aut matrem: morte moriatur. Qui furatus fuerit hominem et vendiderit eum conuictus noxe: morte moriatur. Qui maledixerit patri aut matri: morte moriatur. Qui percusserit seruum suum vel ancillam virga: et mortui fuerit in manibus eius: criminis reus erit. Sin autem vno die superuixerit vel duobus non subiacebit pene: quia pecunia illius est. Si percusserit quispiam oculum serui sui aut ancille: et luscus eos fecerit: dimittet eos liberos pro oculo quem eruit. Dentem quoque si excusserit seruo vel ancille sue: similiter eos dimittet liberos. Siquis aperuit cisternam et foderit et operuerit eam: cecideritque bos in eam vel asinus: dominus cisterne reddet precium iumentorum: quod autem mortuum est ipsius erit. Si bos alienus bouem alterius vulnerauerit: et ille mortuus fuerit: vendent bouem viuum: et diuident precium. Cadauer autem mortui inter se disperciet. Si autem sciebat quod bos cornupeta esset ab heri et nudius tertius: et non custodiuit eum dominus suus: reddet bouem pro boue: et cadauer integrum accipiet. 22. capitulo. Si effringens fur domum siue suffodiens fuerit inuentus: et accepto vulnere **mortuus** fuerit: percussor non erit reus sanguinis. Quod si orto fuerit sole hoc homicidium perpetravit: et ipse morietur. Si seduxerit quis virginem necdum sponsatam dormieritque cum ea: dotabit eam et habebit vxorem eam. Si pater virginis dare noluerit: reddet pecuniam iuxta modum dotis quam virgines accipere consueuerunt. Maleficos non patiaris viuere. Qui coierit cum iumento: morte moriatur.

In leuitico capitulo 20. Si mechatus quis fuerit cum vxore alterius et adulterium perpetraverit cum coniuge proximi sui: morte moriatur et mechus et adultera. Qui dormierit cum masculo coitu femineo: vterque operati sunt nefas: morte moriantur. Qui supra vxorem filiam duxerit matrem eius: scelus operatus est: viuus ardebit cum eis. Qui cum iumento et pecore coierit: morte moriatur: pecus quoque occidite. Mulier que succubuerit cuilibet iumento simul interficietur cum eo. Qui maledixerit et blasphemauerit nomen domini: morte moriatur: lapidibus opprimet eum omnis multitudo populi. Qui percusserit et occiderit hominem: morte moriatur. Qui percusserit animal: reddat vicarium, i. animam pro anima. Qui irrogauit maculam cuilibet ciuium suorum: sicut fecit sic fiet ei: fracturam pro fractura: oculum pro oculo: dentem pro dente restituet: qualem inflixerit maculam: talem sustinere coetur.

Moyses in deuteronomio capitulo 19. Cumque diligentissime perscrutantes inuenerit falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium: reddant ei sicut fratri suo facere cogitauit: vt

Commented [CN28]: fol.59rb

audientes ceteri: timorem habeant: et nequaquam talia facere audeant: non misereberis eius: sed animam pro anima: oculum pro oculo: dentem pro dente: manum pro manu: pedem pro pede exigēs.

#### De iudiciali mundicia: Rubrica 17.

Moises in deuteronomio capitulo 24. Non occidentur patres pro filiis: nec filii pro patribus: sed vnusquisque pro suo peccato moriatur.

Commented [CN29]: fol.59va

Salomon in prouerbiis capitulo 20. Dissipat impios rex sapiens. Idem in ecclesiastice capitulo 8. Quia non profertur cito contra malos sententia absque vllō timore filii hominum perpetrant mala.

Hieremias propheta libro prophetarum capitulo 31. Omnis homo qui comederit vnam: acerbam et dentes ei obstupescunt.

Ezechiel propheta capitulo 18. Ezechiel ait: Factus est sermo domini ad me dicens: Fili hominis quid est quod inter vos parabolam vertitis in prouerbium istud inter israel dicentes: Patres nostri comederunt vnam acerbam: et dentes filiorum obstupescunt. Anima que peccauerit ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris: et pater non portabit iniquitatem filii. Iustitia iusti super eum erit et impietas impii erit super eum.

Aristoteles rethoricorum libro i. capitulo 19. Differunt punitio et castigatio. Castigatio quidem enim patientis gratia est. Punitio autem facientis vt satietur. Libro 3. et finali capitulo 12. Vindicta nocendum quoddam iustum est. Idem polliticorum libro 7. capitulo 10. Punitiones a virtute quidem sunt.

Pilon vel philemon libro sapientie capitulo 11. Per que peccat quis per hec et torquetur.

Tullius rethoricorum artis veteris libro 11. capitulo 5. Nihil est indignius quam eum qui culpa caret supplitio non carere.

Quintilianus declamationum 13. declamatione. Facinus est o iudices euadere nocentes.

Seneca tragediarum in hercule furente capitulo 11. et finali. Sepe vindicta obfuit. Idem in prouerbiis. Nunquam scelus scelere iudicandum est.

Lex digestorum titulo de operis noui nunci. l. de pupillo. §. si plurium. Non debet nocere factum alterius ei qui nihil fecit. Titulo de fideiussoribus l. si a reo. §. finali. Penas ob maleficia solui magna ratio suadet. Titulo de regulis iuris l. infrascripta. Non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri.

Lex codicum titulo de episcopis et cleris l. presbyteri: Multo magis pena sunt digni quibus cum plurimum honoris est delatum: occulto inueniuntur in crimine. Titulo de iudeis. l. nemo. Iccirco iudiciorum vigor iurisque publici tutela videtur in medio constituta ne quisquam sibiipsi permittere valeat vltionem. Titulo de penis l. si operis: Non remitti penam facile publice interest: ne ad maleficia quisquam temere prosiliat.

Commented [CN30]: fol.39vb

Boetius de consolatione libro 4. capitulo 7. Puniri improbos iustum est: impunitos elabi etiam iniquum esse manifestum est.

Cassiodorus epistolarum libro i. epistola 4. Excessus tunc sunt in formidine quando creduntur iudicibus displicere. Libro 4. epistola 35. Esset cunctis fallendi studium si fraus subuecticum lucraretur effectum. 49 epistola. Necesse est vindicte subiaceat qui prauis moribus obsecundat. Libro 5. epistola 14. Iustitie ratio persuadet excedentes reprimere vt ad cunctos possit quietis suauitas peruenire. Libro 9. epistola 2. Uix audet quisque in illos excedere: in quibus culpas non potest inuenire. Libro 9. epistola 22. Indiscreti hominum mores confusique vagarentur si aut culpa formidinem aut virtus premia non haberet.

Auctor libri qui dicitur pamphilus capitulo 22. Penas sepe luit quas homo non meruit.

De iudiciali misericordia: venia: et impunitate: Rubrica 18.

Salustius in iugurtino. Ignoscendo malis bonos perditum itur.

Tullius rethoricorum artis veteris libro i. capitulo 12. His qui imprudentes leserunt ignosci conuenit.

Ouidius de ponto libro i. epistola 2. Multa metu cohibet qui pena pauca coeracet.

Iacobus apostolus epistola vnica. Iudicium sine misericordia illi qui non facit misericordiam: superexaltat autem misericordia iudicio.

Seneca de clementia: Venia est pene merite remissio. Idem de moribus: Bonis nocet qui malis parcit.

Lex digestorum titulo ad legem iulia de maiestate l. famosi. §. i. Lubricum lingue ad penam facile trahendum non est. Titulo de penis. l. absentem. Sacius est impunitum relinqui facinus nocentis quam innocentem damnare. Titulo de bonis eorum qui ante sententiam etc. l. i. Ignoscendum est his qui sanguinem suum qualitercumque redemptum voluerunt.

Auctor libri de formula honeste vite capitulo 3. **Errori** facile veniam dato.

Commented [CN31]: fol.60ra

Cassiodorus epistolarum libro 2. epistola 9. Benigni principis est ad clementie commodum transilire terminos equitatis. Libro 3. epistola 47. Nisi culparum occasiones emergerent locum pietas non haberet. Casibus asperis prestandum est sub iustitie laude moderamine: vt nec vindictam sinamus superare peccata: nec culpam insultare patiamur legibus impunitam. Libro 4. epistola 29. Non habet venie locum qui deliquit admonitus. Libro 11. et penultimo epistola 41. et finali. Ocium tibi clemens actus inducit.

Gregorius in pastorali capitulo 18. Disciplina vel misericordia multum destituitur: si vna sine altera teneatur: sed erga subditos suos inesse rectoribus debet: et iuste consulens misericordia et pie seuiens disciplina. Misericordia est lenitas cum seueritate: faciendo quoddam ex vtroque temperamentum: vt neque multa asperitate exulcerentur subditi: neque nimia benignitate soluantur. 22. capitulo. Cum non malitia sed sola ignorantia vel infirmitate delinquitur: profecto

necesse est vt magno moderamine ipsa delicti correctio temperetur. 41. capitulo. Nonnunquam mansueti cum presunt vicinum et quasi iuxta positum torporem desidie patiuntur: et plerumque nimia resolutione lenitatis vltra quam necesse est vigorem districtiois emolunt.

Isidorus in sinonima soliloquiorum libro 2. capitulo 49. Impia iustitia est humane fragilitati non ignoscere. Non ames damnare: sed emendare potius et corrigere. Tene rigorem in discussione iustitie: misericordiam in diffinitione sententie. 50. capitulo. In ambiguis dei iudicio reserua sententiam.

Mattheus vindocinensis in poetria: parte 2. et finali capitulo 13. et penultimo. Transgressionis impunitas magistra est transgressionis.

Montenarius in luna cleri capitulo 72. Omnis frequentari: facit impunitio crimen. / Accendit culpam: facilis dimissio pene.

De seueritate seu rigore et crudelitate seu seuitia: Rubrica 19.

Seneca de clementia: Tam omnibus ignoscere crudelitas est quam nulli medium tenere debemus. **Uoluntas** oportet ante seuiendi quam causa deficiat. Alioquin quemadmodum prescisse arbores plurimis ramis repullulant. Ita regia crudelitas auget inimicorum numerum tollendo: parentes enim liberique eorum qui interfecti sunt et propinqui et amici in locum singulorum succedunt. Tyranni in voluntate seuiunt: reges non nisi ex causa ac necessitate. Clementie contrariam imperiti putant seueritatem: sed nulla virtus virtuti contraria est. Quid ergo opponitur clementie crudelitas: que nihil aliud quam atrocitas animi in penis exigendis. Seneca in prouerbiis. Respue crudelitatem et matrem crudelitatis iram.

Commented [CN32]: fol.60rb

Lucanus libro 8. Facere omnia seue / Non impune licet.

Ualerius maximus libro 6. titulo de seueritate. Cambises mali cuiusdam iudicis et corpore pellende tractam selle intendi in eaque filium eius iudicaturum considerare iussit. Ceterum et rex et barbarus atroci ac noua pena iudicis ne quis postea corrumpi iudex posset prouidit. Libro 9. titulo de crudelitate: Seuus fuit enei thauri inuentor: quo inclusi subditis ignibus longo et abdito cruciatu mugitus resonantes spiritum edere cogebantur: ne eiulatus eorum humano sono vocis expressi phaleridis tyranni misericordiam implorare possent: quam quia calamitosis deesse voluit teterminum artis sue opus primus inclusus merito auspicatus est.

Auctor libri de formula honeste vite capitulo 4. Seuerior esto iudicio quam sermone: vita quam vultu: vltor clemens: seuitie detestator.

Cassiodorus epistolarum libro 11. et penultimo epistola 41. et finali. Qui iustitie inexorabili excubat: necesse est vt eum pietas benigna desinat.

Gregorius in pastorali capitulo 18. Disciplina vel misericordia multum destituitur si vna sine altera teneatur. Sed erga subditos suos inesse rectoribus debet: tunc iuste consulens misericordia et pie seuiens disciplina.

Gaufridus in poetria capitulo 94. Cum possis noli seuire: memento neronis.